

(3.) Schola Poenitentiae, seu 15. *Predigten von der Buße über Matth. IX, v. 13.* Danzig, 1623, 8.

XVI.

NATHANAEL DILGERVS.

In percelebrem hunc Virum ea omnia, quae singula alios ornare solent ecclesiae christianae doctores, svavi quadam conspiratione convenisse videntur. Neque id mirum, cum fortes creentur fortibus, Daniele Dilgerum, filium non magis sui nominis, quam ingenii, progenuisse. Factum id est A. C. c^lo l^o c^{iv}, d. v. Septembris, quo primam aspexit lucem, Vir nostra laude major. Ætatis primae tirocinia per ipsos quindecim annos, magno cum Praeceptorum suorum applausu, in urbe patria feliciter confecit. His ad majora paratus, A. c^lo l^o c^{xix} almae studiorum parenti, quae Regiomonte est, magis magisque poliendus, commissus est, a qua tamen lues illum comitialis, per id tempus ibi ingravescens, non ita multo post abstraxit, inque patriam redire coegit. Cum vero matheseos studium ante ceteras omnes scientias juveni arrideret, ductu acutissimi Mathematici, Petri Crugeri (*) usus est. Neque tamen diu in patria Dilgerus nostras substitit, qui externo-

F rum

(*) Egregium, nec a veritate alienum, ei tribuit nomen B. C. S. Schurzfleischius, in Programm. quo nomine D. Mich. Senneri, Acad. Vittemb. t. t. Magnifici Pro - Rectoris, Joann. Hevelii memoriam, a Carolo Christ. Kirchmeyero renovandam, indicavit A. 1688. Dom II. post Epiphan. *Petrus Crügerus, Vir artis mathematicae, acie mentis et inquirendi industria insignis, Hipparcho, et Timochare non inferior.*